Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 887
Quelle:
Copyright:

rum postremum sic rubro inscriptum: *Incipiunt acta sanctissimi Nykolai archiepiscopi liceę mirensis metropoleos mense decembrio die VI.* maxime prolixum est, versusque finem haec habet: *Huc usque de grecorum editione trahentes doctorum ad latinitatis transtulimus gratiam* &c. Pars altera hoc titulo gaudet: *Incipiunt post obitum miracula Sancti Nykolai.* Incipit: *Igitur postquam beatissimus Nykolaus ex hoc mundo migravit* &c. Finit: *apud ipsum mundi conditorem intercessorem habeamus per eum qui uiuit* &c. Utraque haec *Pars*, ut re conveniat, abludit tamen et ordine et phrasi a tribus *Nicolai* vitis, quas *Aloys. Lipomanus* in *Vit. SS. PP.* P. II. p. 252. exhibet, nec novi, an inter *Acta Nicolai* a *Nic. Carminio Falconio Neap.* 1751. f. publicata, quae ad manum non sunt, extet, aut, an inter Continuatorum *Bollandi* Collectanea sit, olim ad diem *VIII. Id. Decembr.* proferenda. Tertia *Pars* agit de Translatione Corporis D. *Nicolai Barium* in *Apuliam* minio sic inscripta: *Prologus De translatione Sancti Nykolai episcopi. Que est septimo idus maii. Gloriosa Sanctorum Merita dum pio ac frequenti studio* &c. Narrationis initium: *Est ergo Uaris* (Barium) *Ciuitas Apulie que dicitur una esse ex decem et octo Provinciis Italie* &c. Extat ejusmodi Narratio, sed dictione diversa T. VII. *Laur. Surii de probat. SS. Vitis* p. 397. scripta a *Johanne* Archid. *Barensi* circa an. 1088. invenio tamen in *not. ad Martyrol. Rom. Baronii* die 9. *Maji* p. 187. latitare et aliam in Mss. autore *Nicephoro Barensi*, quae, num nostra sit, dicere non habeo. Hagiographi *Belgae* de hac Translatione agere ad diem supradictam *Decembris* distulere.

IV. *fol.* 51. *Incipit prologus in uitam Gotebardi episcopi et confessoris. Summę Reverentię decore venerando Domno meo et magistro Albuuino. toto semper deuotionis studio colendo. Wolfberius spiritu et corpore modicus* &c. Legitur haec *Godebardi* primum *Altahae inferioris* in *Bojoaria* (non *Tegernseensis*, ut *Fabric.*) Abbatis, tum Episcopi *Hildesiensis* ✠ 1038. Vita autore non *Arnoldo*, sed *Wolfberio* Monacho *Altahensi* in *Cph. Broweri Sideribus Germ.* apud *Surium* ad diem IV. *Maji*, ad eandem in *Actis SS.* T. I. p. 502. apud *Mabillonium Sec. VI. Bened.* P. I. p. 395. et in *Leibnitii Scriptt. Brunsv.* T. I. p. 482. Deest tamen in *Cod.* nostro ultima Appendix.

V. *fol.* 72. *Vita S. Willibaldi episcopi.* Initium: *Originem Egregii confessoris christi atque pontificis* &c. Finis: *et precipue tuis tibi a christo collatis, Per eum qui cum patre* &c. Vita haec *Willibaldi* Angli, primi Sec. VIII. *Eichstettensium* Episcopi extat in *Henr. Canisii Lect. antiq.* edit. *Basnag. Amst.* 1725. T. III. P. 1. p. 13. *Reginoldum* Ep. *Eich-*